

tibus, non ita facile atque distinctim Genealogi in hoc negotio versari poterant, quin etiam cautissimis aliquando imponerent homonymiae. Qua rerum difficultate alii deterriti prorsus ab hoc opere; alii ab eodem avocati sunt, vt stationem defererent. Tandem & illud remoras iniecit procerum historiae in Germania, quod peruersa domi ac foris homines opinio occupasset, familias apud ethnicas & barbaras gentes, (in hoc enim numero partim erant nostrates, partim habebantur,) parum aut nihil gloriae dignitatisque ex longis atque antiquis originibus mutuare (h); hoc enim idem esse, ac gloriari velle, diu in sorditie ac tenebris delituisse, sed veram gentis claritatem a cultura Romanorum (i) & lumine Christianorum rituum deducendam. Hinc maior de admissis purioribus sacris, de meritis in ecclesiam ac sacerdotes, claustris monachorum conditis aut ditatis, inter illustriores familias contentio ac aemulatio fuit, vtra alteram

aeui munerum belli ac pacis. *Nobiles* autem *landsassii* nomen suum a loco *domicilioque* acceperunt, cum eoque illud iterum mutarunt & amiserunt. Qui haec secum expendit, ille naenias ridet cum *genealogistarum*, tum auctorum artis *heraldicae*, qui tantae vetustatis otiosi sunt promissores.

(h) Inde dissidia, cuius gens prius seriusue accesserit ad sacra Christianorum? Eadem superstitio *Galliae* regi primas detulit, quod istud regnum *primogenitum* dedisset ecclesiae. Miror, cultioris orbis scriptores hodieque argumenta petere ex rebus eius momenti. Simile quid sermone habeo alicuius Graeci, qui serio adfirmavit, hominem in Graeciae & Africae regionibus ius *praelationis* siue *praecedentiae* ex eo acquirere, si *peregrinatus* esset in *Palaestinam* seu *terram sanctam*, loco eidem cedere quosuis alios. Quae ambitio plures ad haec itinera inuitet, quam superstitio aut nimietas religionis.

(i) Quamuis enim & hi fuissent pagani: artibus tamen summi pontificis factum est, vt maiestatis imperii Romani memoria cultusque in Germanis conseruaretur. Pudu it ergo Germanos, gentem suam non peregrinam esse, sed sanguine oriundam Germano. Contra maiores nostri, qui a peregrino sanguine tantopere abhorruerunt, vt potius ad mendacia confugerent dicerentque, *terra* se editos esse, ne aduenae crederentur.